

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXVIII - N. 1

1996

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIU M
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1996

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	3
Messaggio all'Em.mo Card. William W. Baum, Penitenziere Maggiore	8
Allocutio Summi Pontificis ad eos qui Symposio « <i>Evangelium Vitae</i> » e <i>Diritto</i> interfuerunt	13

ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	18
Symposium Internationale « <i>Evangelium Vitae</i> » e <i>Diritto</i>	20

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio XV)	33
Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio XVI)	71
Notitiae	166
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	167

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

I

COETUS STUDII «DE INSTITUTIS PERFECTIONIS»

Sessio XV

(dd. 30 aprilis – 5 maii 1973 habita)

Diebus 30 aprilis – 5 maii 1973, in Aula huius Pontificiae Commissionis, Consultores convenerunt Coetus studii «De Institutis perfectionis» sub moderamine Rev.mi P. Bidagor S.J., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant Rev.mus P. Said, O.P., qui munere Relatoris functus est; quattuor Exc.mi, decem Rev.mi atque III.mus unus Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberat, quia impeditus, unus Exc.mus Consultor. Adunationibus quoque intererat unus Rev.mus qui invitatus est tanquam Collaborator repraesentans Societates vitae communis quae non sunt Instituta missoria.

Postquam Rev.mus Secretarius adstantibus salutem dicit gratiasque refert ob eorum cooperationem, Rev.mus Relator per summa capita exponit quaestiones de quibus hac in XV^a Sessione Coetus tractandum est, nempe:

- 1) de divisione secundae partis Schematis;
- 2) de vita eremitica;
- 3) de canonibus introductivis tituli « De Institutis religiosis »;
- 4) de Institutis vitae apostolicae consociatae. Omnia haec habentur in Relatione introductiva (cf. Adnexum I), quam omnes p[re] manibus habent.

Expositione Relatoris facta, incipit disceptatio de singulis quaestioni bus propositis.

I. DE DIVISIONE SECUNDÆ PARTIS SCHEMATICIS

Quaerit Exc.mus primus Consultor quare non servata erit partitio quae habetur in Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 1, nempe: Instituta religiosa, Societates vitae communis et Instituta saecularia. Titulus praeterea « De Institutis vitae apostolicae consociatae » minus aptus videtur, quia multa etiam Instituta religiosa sunt instituta « consociata » et quidem « vitae apostolicae ». Immo vita haec « consociata » vel idem est ac vita « communis » (et tunc servari potest titulus « Societates vitae communis ») vel non est idem (et tunc mutamus mentem Decr. *Perfectae Caritatis*). Ad has solvendas difficultates, haec nova divisio proponitur ab Exc.mo primo Consultore:

- Titulis I: De Institutis religiosis
- Art. I: De Monachis
- Art. II: De Monialibus
- Art. III: De Institutis canonicalibus
- Art. IV: De Institutis conventionalibus
- Art. V: De Institutis operibus apostolatus deditis
- Titulis II: De aliis Institutis vitae apostolicae deditis
- Titulis III: De Institutis saecularibus

His dictis, respondet Rev.mus Relator animadvertis tripartitam divisionem Decr. *Perfectae Caritatis* substantialiter servatam esse. Dicitur « vita apostolica consociata », quia haec vita quamvis sit utique vita communis differt a vita communi religiosorum. Titulus praeterea « De aliis Institutis vitae apostolicae deditis » non placuit in alia praecedenti Coetus sessione, etiam quia forsan Instituta saecularia sub hac rubrica inveniri possunt.

Exc.mus secundus Consultor animadvertis quoque non esse satis claram significationem Tituli II; quapropter Exc.mus proponit ut dicatur « De Institutis vitae communitariae ».

Obiicit tamen Rev.mus Relator verbum « communitariae » esse obscurum, etiam quia hodie omnia dicuntur « communitaria »; praeterea in proposita locutione elementum apostolicum disparuit.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut Tit. I, Cap. II ita sonet: « De

Institutis operibus *praecipue* apostolatus deditis», ne excludantur Instituta monastica quae operibus apostolicis incumbunt. Haec tamen additio aliis Consultoribus non videtur necessaria.

Rev.mo quarto Consultori placet Tit. II uti proponitur, sed aptius dicendum censet: «De *aliis* Institutis vitae apostolicae consociatae», quia haec duo elementa, apostolatus nempe et vita consociata, etiam aliis Institutis convenient.

Ex parte sua Rev.mus quintus Consultor proponit ut ipse Tit. II ita inscribatur «De Institutis vitae apostolicae consociatae non religiosis».

Ceteri Consultores nullam faciunt animadversionem.

Quoad Rev.mum collaboratorem, ipse propositam divisionem substancialiter approbat. Titulus II — ait Rev.mus — apte videtur distinguere istas societates ab Institutis religiosis; istis enim in societatibus sacerdotes consociantur non ad vitam religiosam peragendam sed solummodo ad aliquem apostolatum sacerdotalem exercendum et ad sanctitatem persequendam per ipsum exercitium ministerii sacerdotalis.

Animadvertisunt tamen Rev.mi Secretarius et Relator quod positive etiam requiritur ut in ipsis Societatibus vel Institutis iuridice appareant et regulentur elementa essentialia, quae omnibus Institutis perfectionis sunt communia ad mentem Concilii Vaticani II, nempe, professio trium consiliorum evangelicorum castitatis, paupertatis et oboedientiae, per vota aut alia sacra ligamina votis aequiparata. Quae ex his societatibus vel Institutis careant his substantialibus requisitis Instituta perfectionis non sunt, ideoque inveniri debent in alia parte legislationis de iure associativo ecclesiastico.

His dictis assentit Rev.mus Collaborator.

Quoad propositiones quarti et quinti Consultorum, animadvertisit Relator quod criterium distinctionis relate ad Instituta religiosa in eo praesertim habetur quod istae societates «vitam apostolicam consociatam» ducunt diversam a vita communi quae religiosorum est propria quaeque peculiare habet fundamentum theologicum et disciplinare.

Nulla alia fit animadversio, ideoque suffragatur proposita divisio secundae partis Schematis.

Exitus suffragationis est:

Placet quoad substantiam: 15

Placet iuxta modum: 0

Non placet: 0.

En divisio quae approbatur:

PARS SECUNDA SEU SPECIALIS

(De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria)

- Titulus I: De Institutis Religiosis
- Cap. I: De Institutis Monasticis
- Art. I: De Monachis
- Art. II: De Monialibus
- Cap. II: De Institutis operibus apostolatus deditis
- Art. I: De Institutis Canonicalibus
- Art. II: De Institutis Conventualibus
- Art. III: De Institutis Apostolicis
- Titulus II: De Institutis vitae apostolicae consociatae
- Titulus III: De Institutis Saecularibus

II. DE VITA EREMITICA

Hic est canon qui proponitur, ponendus inter canones praeliminaires secundae partis et quidem ultimo loco, antequam scilicet sermo fiat de Institutis religiosis:

«§ 1. Praeter haec perfectionis Instituta, Ecclesia agnoscit vitam eremiticam, qua christifideles arctiore a mundo secessu, solitudinis silentio, assidua prece et poenitentia suam in laudem Dei et mundi salutem vitam consecrant.

§ 2. Eremita uti religiosus iure recognoscitur si tria evangelica consilia, voto firmata, profiteatur et propriam vitae rationem sub ductu Ordinarii loci aut competentis moderatoris religiosi habeat et servet».

Quaerendum est — ait Exc.mus primus Consultor — utrum factum actualis vitae eremiticae requirat necne disciplinam particularem in iure canonico, etsi hoc per unum tantum canonem fiat.

Respondet Rev.mus Relator multos Superiores Religiosos petiisse a S. Congregatione licentiam permittendi quibusdam sodalibus Institutorum ut vitam ducant eremiticam; agitur ergo de facto et de reali motu in Ecclesia.

Exc.mis secundo et tertio Consultoribus placet ut quaestio de vita eremita in CIC pertractetur, et quidem per unum tantum canonem ponendum in loco a Relatore proposito.

Eamdem sententiam tenent ceteri Consultores, qui censem reliquas determinationes de vita eremita relinquendas esse iuri particulari: adiuncta enim particularia possunt esse valde diversa ideoque etiam vitae rationes, quae concordari debent singulis in casibus cum proprio Superiore vel cum Ordinario loci. Evidens praeterea videtur, ad hoc ut solvatur votum oboedientiae, hanc dependentiam religiosam a quodam Superiore esse omnino necessariam; alioquin non ageretur de religioso eremita, sed tantummodo de persona pia quae solitario modo vitam ducit.

His omnibus probatis, sequitur examen canonis propositi.

Ad § 1, suggerit Exc.mus primus Consultor, et accipitur, ut in lin. 3-4 ita emendetur textus: «...poenitentia in Dei laudem et mundi salutem suam vitam consecrant».

Ad mentem Rev.morum quarti et sexti Consultorum probatur ut lin. 2 haec addantur verba: «... vitam eremiticam *seu anachoreticam*...», ad viandas confusiones terminologicas.

Ponitur quaestio an in initio huius § 1 delenda sint necne verba «Praeter haec perfectionis Instituta», vel saltēm verbum «haec».

Fit de hoc parva discussio, cuius in fine omnibus placet ut textus remaneat sicuti est, quia sunt etiam Instituta vitae eremiticae.

Suffragatur ergo § 1 cum probatis animadversionibus.

En exitus suffragationis:

Placet 14:

Placet iuxta modum: 1 (quartus).

Modus a Rev.mo quarto Consultore propositus hic est: «... assidua prece, *labore* et *poenitentia*...».

Facta suffragatione, modus probatur a 3 tantum Consultoribus, ceteris (12) non placet.

Ad § 2, proponit Exc.mus tertius Consultor, cui accedit Rev.mus quartus, ut in lin. 3 deleantur verba «sub ductu Ordinarii loci». Ceteri autem Consultores censem haec verba esse necessaria, ideoque, facta suffragatione, propositio non recipitur.

Ad mentem Rev.mi sexti Consultoris verba «et servet», posita in fine huius § 2, expungi possunt. Eamdem sententiam tenet Rev.mus quartus Consultor, animadvertisens iam positam esse particulam «si» in linea 1, quapropter si eremita non servat tria consilia evangelica, desinit esse religiosus.

Respondent Rev.mi septimus et octavus Consultores verba «et servet»

iuridice non esse necessaria; attamen valorem psychologicum habent, qui suadere videtur ut haec verba maneant.

Ad quaestionem solvendam Rev.mus Relator hunc proponit textum emendatum § 2:

«Eremita uti religiosus iure recognoscitur, *qui* tria evangelica consilio, voto firmata, *profitetur* et propriam vitae rationem sub ductu Ordinarii loci aut competentis moderatoris religiosi *habet et servare tenetur*».

Facta suffragatione hic textus ab omnibus recipitur, quare canon de vita eremita ita definitive manet probatus:

«§ 1. Praeter haec perfectionis Instituta, Ecclesia agnoscit vitam eremiticam seu anachoreticam, qua christifideles arctiore a mundo secessu, solitudinis silentio, assidua prece et poenitentia in Dei laudem et mundi salutem suam vitam consecrant.

§ 2. Eremita uti religiosus iure recognoscitur qui tria evangelica consilia, voto firmata, profitetur et propriam vitae rationem sub ductu Ordinarii loci aut competentis moderatoris religiosi *habet et servare tenetur*».

Antequam transitus fiat ad examen canonum qui propositi sunt tanquam canones introductivi Tituli II («De Institutis religiosis»), Rev.mus Secretarius querit an Consultores animadversiones facientes habeant in Relatione conclusiva praecedentis Coetus sessionis.

Nulla animadversio fit, ideoque suffragatione facta Relatio conclusiva XIV^a sessionis unanimiter approbatur.

III. DE CANONIBUS INTRODUCTIVIS TITULI I (``DE INSTITUTIS RELIGIOSIS``)

In genere, quoad substantiam, hi canones a parvo Coetu propositi omnibus Consultoribus placent. Quapropter examini singulatim subiiciuntur.

Can. primus

Textus propositus ita sonat:

«§ 1. In quolibet Instituto religioso tria evangelica consilia in professione saltem definitiva a sodalibus assumi debent, voto publico firmata, et vita fraterna in communi peragenda est ad normam iuris particularis.

§ 2. Testimonium publicum ab his Institutis Christo et Ecclesiae redditum illam secum fert a mundo separationem indoli et fini cuiusque Instituti propriam necnon habitum aptum a iure particulari praescriptum qua signum consecrationis vitae».

Exc.mus tertius et Rev.mus quartus Consultores animadvertunt consiliorum evangelicorum praxim assumendam iam esse a candidatis a primo momento eorum institutionis, etsi haec praxis votis firmetur solummodo in momento professionis. Haec quidem est sententia aliorum Consultorum, attenta etiam Instructione *Renovationis causam*, quia absonum videtur ut per 6 annos candidati ad Instituta perfectionis spiritum consiliorum evangelicorum non assumerent. Proponentibus ergo Rev.mis septimo et octavo Consultoribus, ita textus § 1 emendatur, claritatis causa: «In quolibet Instituto religioso tria consilia evangelica voto publico firmata in professione saltem definitiva a sodalibus assumi debent, et vita...».

Exc.mus nonus Consultor quaerit an expressio «vita fraterna in communi peragenda» eandem rem significet in novo iure easdemque habeat consequentias iuridicas ac traditionalis expressio «vita communis», quae habetur in hodierno CIC ceterisque iuris Ecclesiae documentis. Huic quaesito responsum datur affirmativum, ideoque textus remanet sicuti est propositus.

Ad § 2, Rev.mus sextus Consultor et Rev.mus Collaborator animadverunt melius forsitan esse ut non imponatur norma de usu habitus religiosi.

Respondet tamen Rev.mus Relator, cui et alii Consultores accedunt, consulto positam esse a parvo coetu expressionem «aptum habitum a iure particulari praescriptum qua signum consecrationis vitae» loco formulae praecedentis, quae erat tantum «signum consecrationis vitae». Plures sunt rationes huius mutationis, praesertim: *a)* prima formulatio ansam praebat et effugium constituebat pro non paucis religiosis ad habitum derelinquendum; *b)* Summus Pontifex Paulus VI in recenti Apostolica Exhortatione *Evangelica Testificatio* (cf. n. 23) emphasis facit super necessitate retinendi habitum religiosorum, tanquam signum eorum specificae consecrationis; *c)* eadem fuit norma a Concilio Vaticano II tradita, in Decreto *Perfectae caritatis*, de accommodanda renovatione vitae religiosorum (cf. n. 17); *d)* si nihil de hac norma in novo iure clare dicatur, abusus qui hodie dantur rati haberentur, cum bene notis consequentiis etiam ordinis ascetici et disciplinariis; *e)* prae oculis denique habendum est quod Coetus studiorum qui schema «De clericorum iuribus et obligationibus» paravit, pro clericis saecularibus statuit ut deferant «habitum ecclesiasticum».

Nulla alia fit animadversio. Quapropter sequentes fiunt suffragationes:

1) Utrum placeat § 1 cum supradicta emendatione:
Placet omnibus.

2) Utrum placeat § 2 uti proposita est:
Placet: 8.
Placet iuxta modum: 2 (nonus, secundus).
Se abstinent: 2 (decimus, sextus).

Suffragantur modi ad § 2 propositi:

- a) Deleatur verbum « illam » in lin. 2 (nonus):
Placet 4:
Non placet: 8.
- b) Dicatur, in lin. 3, « necnon usum habitus apti a iure... » (secundus):
Placet: 11
Se abstinet: 1 (sextus).

Probatur ergo § 2 cum praedicta emendatione.

Textus canonis approbati ita sonat:

« § 1. In quolibet Instituto religioso tria consilia evangelica voto publico firmata in professione saltem definitiva a sodalibus assumi debent et vita fraterna in communi peragenda est ad normam iuris particularis.

§ 2. Testimonium publicum ab his Institutis Christo et Ecclesiae redendum illam secumfert a mundo separationem indoli et fini cuiusque Instituti propriam necnon usum habitus apti a iure particulari praescriptum qua signum consecrationis vitae ».

Can. secundus

Hic est textus qui proponitur:

« Castitatis propter regnum coelorum professio secumfert coelibatus simulac continentiae perfectae observantiam, qua caritas erga Deum et universos homines magis accendatur et manifestetur ».

Haec formula ab omnibus recipitur. Proponente vero Rev.mo Relatore, textus ita emendatur: « ... magis accenditur et manifestetur ».

Can. tertius

Formula quae proponitur ita sonat:

«§ 1. Paupertatis propter Christi sequelam professio, praeter vitam in labore et omnimoda sobrietate ducendam, secumfert plenam in usu et dispositione bonorum dependentiam necnon cessionem saltem administrationis proprii patrimonii.

§ 2. Nisi, ad normam iuris particularis, fiat renuntiatio bonorum patrimonialium acquisitorum et acquirendorum, sodales tenentur testamentum condere, et, intuitu securitae professionis, de usu et usufructu suorum bonorum libere disponere.

§ 3. Quae vero propria industria, stipendio vel pensione a sodalibus acquiruntur Instituto cedunt».

Canon in genere omnibus placet. Quare examini subiiciuntur singulae paragraphi.

Ad § 1, Exc.mus primus Consultor proponit, sed ab aliis non accipitur, ut loco «proprii patrimonii» dicatur «bonorum si quae sint patrimonium».

Rev.mus undecimus Consultor censet expungenda esse verba «in labore» quia in contextu huius generis vitae evolvi non potest theologia laboris.

Alii tamen Consultores, inter quos Rev.mi septimus et octavus, animadvertisunt hic non agi de hac quaestione theologica, quae quidem magis pertinet ad vitam saecularem, sed de necessitate quam omnes religiosi habent serio adlaborandi in propriis ministeriis, ne pauperes dicantur qui sunt otiosi.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur «praeter vitam operosam» sed propositio non omnibus placet. Neque placet propositio Rev.mi duodecimi Consultoris ut adhibeatur formula «in congrua actuositate».

Tandem fit suffragatio de servando textu uti iacet («praeter vitam in labore». En exitus suffragationis:

Placet: 10.

Non Placet: 5 (tertius, decimus, undecimus, tertius decimus, quintus).

Exc.mus secundus Consultor, cui verbum «sobrietate» placet ut ponatur, necessarium non censet verbum «omnimoda», quare proponit ut deleatur. Propositio accipitur.

Animadvertisit Rev.mus quartus Consultor, cui et Relator accedit, obiectum primarium voti paupertatis esse abdicationem bonorum.

Obiicit tamen Rev.mus octavus Consultor quod, si hoc expresse diceretur, non amplius sustineretur pars doctrinae de voto paupertatis, iuxta quam primum est plena in usu et dispositione bonorum dependentia, quod valet pro omnibus, etiam pro novitiis.

Nulla alia fit animadversio. Quapropter, suffragatione facta, textus § 1 approbatur uti iacet, dempto tamen in lin. 2 verbo «*omnimoda*».

Ad § 2. Exc.mus primus Consultor mavult ut determinetur tempus pro testamento condendo, ita ex. gr.: «...intuitu secuturae professionis testamentum condere». Huic animadversioni accedit Rev.mus quartus Consultor qui proponit ut dicatur testamentum esse condendum ante professionem definitivam.

Obiicit Rev.mus Relator formulam can. 569 § 3 hodierni CIC adhiberi non posse; melius esset si res iuri particulari relinquatur.

Fit tamen suffragatio quoad propositionem Rev.mi quarti Consultoris, cuius exitus est:

Placet: 3 (primus, quartus decimus, quartus)

Non placet: 9

Se abstinent: 3.

Textus ergo non mutatur.

Suggerit quoque Rev.mus quartus Consultor ut aliquid dicatur de facultate mutandi testamentum. Quae propositio etiam suffragationi submittitur.

En exitus suffragationis:

Placet: 5

Non placet: 10.

Nulla alia fit animadversio. Quapropter textus § 2 manet uti propositus erat.

Ad § 3. Animadvertisit Exc.mus secundus Consultor nihil in textu inventi de donationibus factis, sive intuitu personae sive intuitu Instituti.

Respondet tamen Rev.mus Secretarius donationes includi sub verbo «*stipendio*».

Rev.mus sextus Consultor ait stipendium esse partem industriae personae, sed respondet Rev.mus Secretarius rem ita non semper se habere: verbum «*industria*» aliquid plus significat quam «*stipendium*» vel «*proprium labore*».

Rev.mus quartus Consultor suggerit ut, servatis verbis «*intuitu Instituti*» quae habentur in can. 580 § 2 CIC, textus ita compleatur: «*Quae vero*

propria industria, stipendio, pensione vel intuitu Instituti a sodalibus acquiruntur Instituto cedunt».

Respondet tamen Rev.mus Relator, et alii accedunt Consultores, melius esse servare textum sicuti est, quia memorata norma Codicis data tantum est pro religiosis votorum simplicium, qui possibilitatem acquirendi retinent, dum canon noster pro omnibus religiosis valere debet.

Nulla alia fit animadversio, ideoque § 3 manet approbata uti erat proposita. Attamen Rev.mus quartus Consultor quaerit ut parvus coetus adhuc perpendat quaestionem de contractibus seu de actibus proprietatis, ex. gr. quoad libros aliaque huius generis opera, quos religiosi faciunt sive nomine Instituti sive nomine proprio.

Can. quartus

Hic est textus propositus:

«Oboedientiae ad exemplum Christi professio plenam voluntatis Deo dedicationem secumfert in submissione moderatoribus, Dei vices gerentibus, praestanda in spiritu fidei et amoris secundum determinationem iuris».

Proponente Rev.mo sexto Consultore probatur ut in lin. 2 dicatur: «*tanquam* Dei vices gerentibus». Non videtur e contra necessarium, uti ab ipso Rev.mo proponebatur, ut textus ita compleatur: «... in spiritu *fidei, spei* et amoris», attamen ordo verborum mutatur: «in spiritu... praestanda».

Rev.mus quartus Consultor suggerit ut loco «in submissione» dicatur «in subiectione». Ceteris vero Consultoribus non placet mutatio proposita, quia — uti ait Rev.mus septimus — hodie praesertim necessarium apparet ut haec submissio superioribus clare affirmetur; sunt enim qui dicunt professionem faciendam esse Deo, minime superioribus, quapropter impedire conati sunt ut approbentur formulae professionis in quibus superiores nominantur.

Certo certius — addunt Rev.mi septimus et octavus Consultor — sunt praecepta in legibus et ad ea quoque religiosi tenentur oboedire vi voti. Sed simul prae oculis habendum est in oboedientia superioribus facta implicite adesse oboedientiam legibus iuris communis normisque iuris particularis Instituti, quas superiores interpretantur.

Nulla alia animadversio fit, ideoque textus emendatus canonis ita manet approbatus ab omnibus:

«Oboedientiae ad exemplum Christi professio plenam voluntatis Deo dedicationem secumfert in submissione moderatoribus, *tanquam* Dei vices gerentibus, in spiritu fidei et amoris praestanda secundum determinationem iuris».

Can. quintus

Haec est formula proposita:

«Communitas religiosa habitare debet in domo legitime constituta, quae domus propriam habeat ecclesiam vel oratorium in quibus Eucaristia celebratur et asservatur ut vere sit centrum communitatis».

Textus in genere placet, sed in lin. 3 duo proponuntur modi, nempe:

a) «... ut vere sit centrum *et fons vitae fraternalae*», ad vitandam repetitionem verbi «communitas» et ut significetur etiam fons fraternitatis (Exc.mus secundus Consultor);

b) «... ut vere sit centrum *totius vitae communitatis*» (Rev.mus tertius decimus Consultor).

En exitus suffragationibus modorum:

a) Placet: 2

Non placet: 12

b) Placet: 11

Non placet: 3.

Textus ergo canonis approbatur cum emendatione proposita sub litt. b).

Ita expletur disceptatio de canonibus introductivis Tituli «De Institutis religiosis».

IV. DE INSTITUTIS VITAE APOSTOLICAE CONSOCIATAE

Postquam Relator exponit quae habentur in pp. 17-19 Relationis introductivae,¹ incipit discussio canonum quae ita evolvitur.

Can. primus

Textus propositus ita sonat:

«Instituta vitae apostolicae consociatae, sive sacerdotalia sive laicalia, quae religiosa non sunt, suum finem apostolicum per vinculum fraternita-

¹ Cf. infra, pp. 62-63.

tis sustinent atque secundum propriam rationem consilia evangelica aliquo sacro ligamine firmata assumunt».

Proponit Rev.mus quartus Consultor cui et alii Consultores accedunt, ut loco «consilia evangelica» dicatur «*tria* consilia evangelica».

Animadvertisit tamen Rev.mus Relator hoc verum esse, sed non videri necessarium ut verbum propositum addatur, quia res subintelligitur: professionem quidem trium consiliorum evangelicorum esse elementum commune pro omnibus Institutis perfectionis.

Rev.mus septimus Consultor suggerit ut loco «sacerdotalia» dicatur «clericalia», quia habentur vel haberi possunt etiam diaconi. Emendatio omnibus placet.

Quaerit Rev.mus sextus Consultor an verba «quae religiosa non sunt» revera sint necessaria. Rev.mi Relator et Consultor respondent hanc explicitam declarationem esse quidem opportunam, tum ut haec Instituta distinguantur ab Institutis religiosis de quibus actum est sub Tit. I, tum ad satisfaciendum desiderio horum Institutorum.

Denique Exc.mus secundus Consultor proponit, et accipitur, ut in lin. 3 dicatur «quodam» loco «aliquo». Certum enim est quod sodales debent assumptionem consiliorum firmare quodam sacro ligamine ut aperte stantur in Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 44.

Textus ergo canonis qui suffragationi submittitur et unanimiter probatur ita sonat:

«Instituta vitae apostolicae consociatae, sive clericalia sive laicalia, quae religiosa non sunt, suum finem apostolicum per vinculum fraternitatis sustinent atque secundum propriam rationem consilia evangelica quodam sacro ligamine firmata assumunt».

Can. secundus

En formula proposita:

«Vita fraterna ita ordinata sit ut activitatem apostolicam praeparet et constanter foveat atque adiuvet».

Exc.mi primus et secundus Consultor praeferunt ut loco «vita fraterna» dicatur «vita consociata», quia iuridice magis convenit: vita enim fraterna intelligi etiam potest sensu tantum spirituali, absque vera communione vitae inter sodales.

His dictis accedunt Exc.mus nonus, Rev.mi quintus, tertius decimus et alii Consultores.

Animadvertisunt tamen Rev.mi septimus et quartus decimus Consultores electorum iuridicum iam adesse, quia dicitur «vita fraterna ordinata» quae quidem ordinatio communionem vitae inter sodales includit. Huic sententiae et alii Consultores accedunt. Quapropter facta suffragatione, textus approbatur uti est propositus.

Can. tertius

Hic est textus qui proponitur:

«Statuta personalem conditionem sodalium circa bona temporalia definiunt et accommodatas normas statuant quae eorum usum moderentur, attenta in fraternitate aequalitate sodalium».

Rev.mus Collaborator noticias praebet circa diversas formas quibus paupertas evangelica colitur in his Institutis, atque laudat normam quae posita est in fine canonis ut in fraternitate sodalium aequalitas servetur.

Ad mentem Exc.mi secundi Consultoris, qui postulat ut explicite mention fiat de paupertate, sequentia adduntur verba in lin. 2: «... quae secundum paupertatem eorum usum moderentur ...».

In eadem lin. 2, probatur, proponente Exc.mo primo Consultore ut loco «statuant» dicatur «determinent».

Nulla alia fit animadversio, quapropter, facta suffragatione, sequens textus unanimiter approbatur:

«Statuta personalem conditionem sodalium circa bona temporalia definiunt et accommodatas normas determinent quae secundum paupertatem eorum usum moderentur, attenta, in fraternitate, aequalitate sodalium».

Can. quartus

Formula proposita ita sonat:

«§ 1. Ordinariis locorum sodales reverentiam et oboedientiam prae-
sent in his quae activitatem apostolicam spectant, salvis semper indole In-
stituti et subiectione erga proprios moderatores.

§ 2. Sodales, etsi ad normam iuris particularis incardinationem in aliqua dioecesi habere possint, moderatoribus Instituti submissi manent atque munera in Instituto commissa assumere tenentur».

Ad § 1 nulla fit animadversio.

Ad § 2 animadvertisunt Exc.mus secundus et alii Consultores quod ex hac norma, nempe ex possibilitate habendi incardinationem in aliqua dioe-

cesi, oriri quidem possunt difficultates, quia ageretur revera de fictitia incardinatione.

Rev.mi Secretarius et septimus Consultor proponunt ut haec § 2 deleatur, quia agitur de quaestione quae hic solvi non potest.

Eandem tenent sententiam alii Consultores, quapropter Card. Praeses proponit, et accipitur, ut suffragatio fiat de § 1; quoad § 2 norma suspenderatur dum quaestiones de incardinatione integre solvantur a Coetu studiorum « De Sacra Hierarchia ».

Fit ergo suffragatio de § 1, quae ab omnibus approbatur.

Ita expletur disceptatio de his quae pertractandae erant, ideoque, precibus de more dictis, finis imponitur huic XV^a Sessioni Coetus studii « De Institutis perfectionis ».

Romae, 5 maii 1973.

I. HERRANZ

Actuarius

Adnexum I**RELATIO INTRODUCTIVA DECIMA TERTIA**

I. *De Schemate Secundae Partis;* II. *De Vita Eremitica;* III. *De Canonibus Introductivis Tituli:* «*De Institutis Religiosis*»; IV. *De Institutis vitae apostolicae consociatae.*

I. DE SCHEMATE SECUNDAE PARTIS

1. In ultima sessione nostri Coetus Studiorum, Rev.mis Consultoribus praesentatum fuit documentum quoddam cui titulus datus est: *Addenda ad Relationem Introductivam Decimam Secundam*. Quae in hoc documento exposta sunt, ob penuriam temporis, nec examini subiecta nec discussa fuerunt in illa sessione. Sed infrascriptus Relator Rev.mos Consultores rogavit ut dictum documentum ad trutinam revocarent et proprias scriptas animadversiones eidem mitterent intra tempus communiter concordatum, nempe usque ad finem mensis ianuarii 1973. Non pauci Consultores nostri Coetus magna cum diligentia documentum perscrutati sunt et suas observationes necnon propositiones miserunt intra tempus statutum, quibus ex corde Relator gratias agit.

2. In prima parte citati documenti expositum fuit iter a Coetu nostro secutum in formulatione et approbatione, saltem temporaria, Schematis secundae partis Schematis generalis. Neminem latet formulationem hanc laboriosam fuisse. In conatibus antea factis exitus satisfaciens nobis non arsisit ob defectus qui adhuc apparent in Schemate approbato in sessione decima secunda. Quapropter, in eodem documento in fine ultimae sessionis Rev.mis Consultoribus praesentato, alia proposita fuit formulatio Schematis secundae partis a Consultoribus Parvi Coetus examinata et approbata (cf. «*Addenda ad Relationem Introductivam Decimam Secundam*» p. 4, n. 3).¹ In hoc Schemate, omnia Instituta Perfectionis coadunata apparent in duobus supremis generibus, quorum primum includit *omnia Instituta Religiosa stricte dicta*, sive monastica sint sive operibus apostolatus dedita, dum secundum genus coalescit ex *omnibus Institutis Perfectionis quae religiosa non sunt*. In hoc secundo genere includuntur sic dictae «*Societas vitae communis sine votis*» et «*Instituta Seacularia*».

¹ Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 319-320.

3. Quidam tamen Rev.mi Consultores, qui propositam divisionem accurate investigaverunt, animadverterunt Societates Vitae Communis sine votis et Instituta Saecularia vix sub uno genere Institutorum Perfectionis seu in una eademque Sectione poni vel includi posse. Licet enim ambo vere dici possint «Instituta non religiosa», inter se tamen ita differunt ut coadunationem sub eadem sectione propter illam negativam communem qualitatem non admittant. Motiva adducta ab his Rev.mis Consultoribus non sunt parvipendenda. Qua de causa, decisionem tuli proposita eorum acceptare et Schema secundae partis ita emendare ut Sectiones supremae Institutorum Perfectionis non amplius duae sint sed tres. In prima namque includerentur omnia Instituta religiosa stricte dicta(sicut erat antea); in secunda venirent Societates vitae communis sine votis et in tertia Instituta saecularia. Ita divisio fieret magis logica et homogenea, quia Instituta perfectionis quae eamdem indolem specificam praesferunt in eadem sectione ponuntur et ita perfecte distinguuntur ab aliis quae diversam naturam exhibent et proinde in alia sectione ponuntur.

Inspecta tamen nova divisione, necessarium non appetit retinere *Sectio-nes*. Haec vox generatim subaudit divisionem maioris momenti (cf. v.gr. Codicem vigentem), dum numerus canonum qui respiciunt Societates vitae communis et Instituta saecularia abs dubio exiguis erit quia in hac secunda parte Schematis poni tantum debent praescripta specialia unamquamque categoriam Institutorum spectantia. Inspectis autem quae in parte prima seu generali iam statuta sunt pro omnibus Institutis indiscriminatim, praescripta specialia numerosa esse non possunt, sicut iam experientia scimus. Hac de causa, in Schemate secundae partis emendato, quod Rev.mis Consultoribus in hac Relatione praesento, sectiones amplius non habentur et fit redditus ad methodum priorem, nempe pars secunda seu specialis Schematis generalis habebit tamquam primam sub-divisionem «*Titulos*», qui, ubi necessarium videbitur, subdividentur in «*Capita*» et «*Articulos*». Ita etiam habebitur parallelismus inter partem primam seu generalem Schematis et partem secundam seu specialem quae eamdem exhibebunt divisionem.

4. Ante propositionem tamen ipsius Schematis secundae partis Rev.mis Consultoribus Coetus pro consueto examine et approbatione (quod iam a Consultoribus Parvi Coetus approbatum est), oportet loqui de alia quaestione alicuius momenti quae cum approbatione schematis connectitur. Agitur namque de invenienda et determinanda apta «*rubrica*» pro illa categoria Institutorum Perfectionis quae in Codice vigenti coadunata sunt sub Titulo XVII, Libri II *De societatibus sive virorum sive mulierum in communi-viventium sine votis*. Cum haec rubrica pluribus et praesertim eisdem Insti-

tutis de quibus est sermo parum placuerit, tam propter complexitatem expressionis quam propter impraecisiones quas continet, plures aliae rubricae propositae fuerunt in variis Schematibus secundae partis quae in diversis sessionibus praesentata fuerunt. Ita, in primo Schemate praesentato, huiusmodi categoria apparet sub rubrica: *Sectio Tertia: De Societatibus vitae communis*, sicuti vulgo appellantur (cf. *Communicationes*, II, 1970, p. 176). In Schemate vero praesentato in sessione XII, illa categoria Institutorum apparuit sub rubrica: *De Institutis apostolicis non religiosis* (cf. Relationem Conclusivam Sessionis XII, p. 2).¹ Haec tamen rubrica Consultoribus non placuit propter negativam expressionem; «non religiosis», ac propterea mutata fuit in sequentem: *De aliis Institutis apostolati deditis*, per oppositionem nempe ad Instituta religiosa operibus apostolatus dedita. Haec autem rubrica apparet etiam in ultimo Schemate proposito in documento Rev.mis Concultoribus praesentato in praecedenti sessione: «Addenda ad Relationem Introductivam Decimam Secundam» (cf. p. 4, n. 3).²

5. Clarum tamen apparuit nullam ex his rubricis Rev.mis Consultoribus nostri Coetus penitus placuisse. Re quidem vera, rubrica a Codice vigenti adoptata, quamquam apta sit ad Instituta de quibus agitur discriminanda ab aliis Institutis perfectionis, ea tamen ab aliis non distinguit per quamdam notam ipsis propriam vel peculiarem. Verum quidem est huiusmodi Instituta aliquem gradum vitae communitariae admittere, sed haec non constituit notam eorum specificam. Immo, eorum vita communis numquam assurgit ad illud momentum quod habet in Institutis religiosis. Nec verum est sodales horum Institutorum vota non emittere. Plura enim ex his Institutis habent vota, sed non *vota religiosa*. Rectum deinde non apparet indicare illam categoriam Institutorum mediante rubrica: «De aliis Institutis Apostolicis» vel «De Institutis Apostolicis non Religiosis». Hae expressiones satisfacere neminem possunt et minus adhuc cultorem iuris, quia non indicant sufficienter illa Instituta nec eorum naturam specificam manifestant. Uno verbo dicere possumus rubricam idoneam adhuc nos non invenisse.

Consideratio forsitan originis historicae maioris partis horum Institutorum necnon propositi generalis fundatorum forsitan nos adiuvare potest ad aptam rubricam inveniendam quia peculiarem eorum naturam nobis patefacit. Omnia haec Instituta ab initio eminenter apostolica apparent. Dici potest quod primum motivum quod fundatores movit ad alias personas sibi associandas et ad vitam communitariam inter sodales instaurandam fuit

¹ Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 126.

² Cf. *ibidem*, 319-320.

apostolatus. Ipsi adverterunt se varia opera apostolica, quae in favorem Ecclesiae et hominum perficere volebant, multo melius et efficacius completere posse in et per aliquod organismum sufficienter evolutum. Tam vita communitaria quam media specialia, his in Institutis, primo et per se ordinata sunt ad activitatem apostolicam sodalium et in ea inveniunt rationem essendi. Per hoc minime affirmatur Instituta huiusmodi non curare de personali sanctificatione et spirituali progressu membrorum, quia hoc esset omnino falsum, sed dumtaxat illustratur prioritas quam activitas apostolica assumit in his Institutis. Quapropter, vita apostolica in recto poni debet in definitione vel descriptione horum Institutorum, dum vita communitaria appetet veluti requisitum quod ad efficacitatem vitae intensae apostolicae postulari videtur. Unde forsitan abs re erit si Instituta haec vocentur: *Instituta Vitae Apostolicae Consociatae*. Puto hanc expressionem naturam specificam horum Institutorum apte manifestare. Sodales nempe eorum, qui omnes eminentem personalem vocationem apostolicam praeseferunt, simul coadunantur et efformant veluti familiam ut viribus unitis eorum vocationem melius completere possint. Nullo modo tamen intendunt vitam religiosam amplecti aut eius vincula assumere vel vota religiosa emittere. Cum autem observantia consiliorum evangelicorum sit in se quid optimum et directe etiam inservit ad apostolica opera perficienda perfectiore modo et cum uberiore fructu, Instituta evangelica consilia amplectuntur aliquo vinculo sacro firmata, etsi vota religiosa non acceptent.

6. His expositis, proponitur nunc *Schema emendatum secundae partis*:

PARS SECUNDA SEU SPECIALIS

(*De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria*)

- Titulus I: De Institutis Religiosis
Cap. I: De Institutis Monasticis
Art. I: De Monachis
Art. II: De Monialibus
Cap. II: De Institutis operibus apostolatus deditis
Art. I: De Institutis Canonicalibus
Art. II: De Institutis Conventualibus
Art. III: De Institutis Apostolicis
Titulus II: De Institutis vitae apostolicae consociatae
Titulus III: De Institutis Saecularibus

II. DE VITA EREMITICA

7. In documento: «Addenda ad Relationem introductivam decimam secundam» exposita sunt motiva quae Consultores Parvi Coetus, propONENTE Relatore, moverunt ad expungendum e Schemate secundae partis Titulum: «De vita eremitica», qui in sessione XII nostri Coetus introduc-tus fuerat (cf. Addenda ad Relationem... n. 2 b, p. 3, et n. 4, pp. 5-6;¹ cf. etiam Relationem Conclusivam Sessionis XII, p. 2, et Adnexum II, p. 24).² Post longam discussionem Consultores Parvi Coetus unanimiter edixerunt in novo iure sufficere ut unicus canon conficeretur qui locum invenire debet inter canones praeliminaires secundae partis et quidem ultimo loco, ante quam scilicet sermo fiat de Institutis Religiosis. Quamvis enim vita eremitica potissimum agatur a sodalibus Institutorum religiosorum, non excluditur ab aliis Institutis perfectionis (immo neque a statu laicorum, licet de personis laicis qui vitam eremiticam suscipiunt absque consiliis evan-gellicis hic sermo esse non potest, uti manifestum est).

In supra citato documento: «Addenda ad Relationem introductivam decimam secundam», tres formulationes canonis circa vitam eremiticam apparent. Sicuti dicitur in eodem loco, istae tres formulationes, a Relatore et duobus aliis Consultoribus Parvi Coetus propositae, examinatae a Consul-toribus coadunatis non fuerunt nec ab eisdem approbatae. In ultima sessione Coetus nostri tamen humaniter quaesitum fuit ab omnibus Rev.mis Consultoribus ut in scriptis suam mentem aperirent quoad totam hanc quaestionem. Quidam animadversiones suas miserunt circa canonis formulationem, sed nullus observationem fecit neque circa expunctionem tituli: «De vita eremitica» e Schemate secundae partis, neque circa reduc-tionem tractationis de hac re ad unum tantum canonem, neque circa eius insertionem inter canones praeliminaires secundae partis. Quare rite praesumendum est Consultores nostri Coetus, quod attinet ad has quaestiones, concordare cum decisionibus latis a Parvo Coetu Consultorum. Non est propterea cur redditus fiat ad ea exponenda quae in documento iam citato clare proposita fuerunt et saltem implicite acceptata.

8. Attentis expositis in pluries citato documento «Addenda ad Relationem introductivam decimam secundam» (cf. pp. 3, 5-8, nn. 2b, 4-6)³

¹ Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 318-319; 321-322.

² Cf. *ibidem*, 126; 172.

³ Cf. *ibidem*, 318-319; 321-323.

et animadversionibus a quibusdam Consultoribus propositis, sequens canon: *De vita eremita* approbatus est a Consultoribus Parvi Coetus:

§ 1. Praeter haec perfectionis Instituta, Ecclesia agnoscit vitam eremiticam, qua christifideles arctiore a mundo secessu, solitudinis silentio, assidia prece et poenitentia suam in laudem Dei et mundi salutem vitam consecrant.

§ 2. Eremita uti religiosus iure recognoscitur si tria evangelica consilia, voto firmata, profiteatur et propriam vitae rationem sub ductu Ordinarii loci aut competentis moderatoris religiosi habeat et servet.

Notae:

a) Animadvertisendum est in Codice Iuris Canonici nullam fieri mentionem vitae eremiticae et nullo modo praesumendum est hanc omissionem oblivioni esse tribuendam. Meo humili iudicio, duplex ratio adduci debet ad istam omissionem explicandam. Admittendum esse videtur tempore codificationis Codicis vigilis fere nullum vestigium adfuisse vitae eremiticae. Anachoretae tunc non existebant vel ita paucierant ut a legislatore recte negligi deberent. Sed alia quoque ratio leglatorem induxit ut nullam statueret normam circa vitam eremiticam. Non raro deviationes non leves, tam doctrinales quam disciplinares, habitae sunt inter personas quae vitam eremiticam ducebant et Ecclesia remedia severa coacta est adhibere ad abusus compescendos. Quamvis igitur institutum vitae eremiticae admodum venerabile sit in Ecclesia et optima merita sibi acquisiverit, non est obliviscendum negotium hoc sat delicatum esse et proinde minimum necessarium quoad hanc materiam in novo Codice ponendum. Ceterum, materia vix aliud permittit quia vitae ratio quae ab anachoreta agitur numerosas normas nec requirit nec admittit.

b) Materia ex qua canon iste extractus est constituitur tam tribus formulationibus a Relatore et a duobus Consultoribus Parvi Coetus propositis, quam canone approbato in prima sessione nostri Coetus in quo traditur notio descriptiva eremitae (cf. Relationem Conclusivam I^{ae} Sessionis, p. 58).¹

c) Dicitur in § 1: «praeter haec perfectionis Instituta», in relatione ad Instituta perfectionis de quibus fit mentio in aliis canonibus praeliminariis secundae partis Schematis. Absque ulla iactura tamen possunt haec verba omitti.

d) Ecclesia agnoscit vitam eremiticam. Testantibus Patribus Concilii Vaticanii II, in agro Domini variae formae vitae solitariae, ab Auctoritate Ecclesiae moderatae, ab exordiis eiusdem ortae sunt. Et ipsum Concilium Vaticanum hanc formam vitae eremiticae vel anachoreticae, quam solitariam vocat, agnoscit (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI, n. 43; Decr. *Perfectae caritatis*, n. 1). Forsan non multi cognoscunt nostris temporibus in Ecclesia et potissimum in variis familiis religiosis et aliis Institu-

¹ Cf. *Communicationes*, XVI, 1984, 239.

nis perfectionis, sed non exclusive, percipi quendam motum in favorem vitae eremiti-
cae. Iam Moderatores Supremi Institutorum religiosorum facultatem acceperunt a
S. Sede permittendi suis sodalibus, qui hoc petunt, ut hanc formam vitae instaurent,
prudenter et sub auctoritate et dependentia moderatorum.

e) «qua christifideles... vitam consecrant». Haec verba quae vitam veri eremitae
apte describunt desumpta sunt partim ex canone approbato in prima sessione nostri
Coetus, ubi eremita vel anachoreta describitur (cf. Relationem conclusivam sessionis
prima, p. 58),¹ partim ex canonibus circa vitam eremiticam formulatis a Relatore et a
Rev.mo Consultore (cf. Addenda ad Relationem introductivam decimam secundam,
n. 6, p. 7).²

f) Dicitur in § 2: «Eremita uti religiosus iure recognoscitur... profiteatur». Inter
Consultores Parvi Coetus discussio facta est circa quaestionem sequentem: «Utrum
eremita, qui sodalis non est alicuius Instituti religiosi, possit iure recognosci tamquam
religiosus». Difficultas oritur ex eo quod huiusmodi eremita vitam communitariam
agere non potest nec dici potest quod dispensatus sit a moderatore religioso pro tem-
pore quo talem vitam ducit. Responsio affirmativa quaestioni data est eo quod vita
communitaria «Instituto religioso» et «communitati religiosae» necessaria est, non
vero singulis religiosis. Quare eremita uti verus religiosus recognoscendus est si tria
consilia evangelica, voto firmata, profiteatur et observet iuxta regulam quamdam ab
Ordinario loci vel a competenti moderatore saltem approbatam et ab ipsis dependeat
secundum determinationem eiusdem regulae et legitimas ordinationes ei datas.

g) In hoc canone, et praesertim in § 2, fit sermo de eremita qui stricto sensu est
et vocari debet religiosus. Ratio est quia hic casus est magis frequens. Per hoc tamen
non excluditur quod possint existere eremita qui religiosi non sunt, etsi pertineant ad
alia Instituta non religiosa vel nulli Instituto perfectionis adhaereant. In hoc ultimo
casu, si consilia evangelica, aliquo sacro ligamine firmata, non profiteantur in manibus
saltem Ordinarii loci et ab ipso non dependeant secundum normas ab eodem statutas
dicendi sunt extra ambitum vitae consecratae.

III. DE CANONIBUS INTRODUCTIVIS TITULI: «DE INSTITUTIS RELIGIOSIS»

9. In documento «Addenda ad Relationem introductivam decimam
secundam» conatus sum explicare rationes ob quas, usque adhuc, in cano-
nibus propositis et approbatis a Consultoribus nostri Coetus Studiorum

¹ Cf. *Communicationes*, XVI, 1984, 239.

² Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 322.

non apparuerunt illae normae quae principia constitutiva vitae religiosae statuunt et indicant (cf. n. 7).¹ «Principia seu elementa constitutiva status religiosi stricte dicti, seu vitae religiosae stricte acceptae prout in quolibet Instituto religioso agitur, sunt professio trium consiliorum evangelicorum, castitatis, paupertatis et oboedientiae, votis firmata, iuxta determinationes legitimas iure particulari statutas et *vita communis*» (*ibid.*, n. 7). Aliis verbis, lacuna videtur haberi eo quod, licet plures in canonibus approbatis sermo fiat de obligatione observandi consilia evangelica in professione assumpta iuxta determinationem iuris particularis cuiusque Instituti perfectionis (cf. v.gr. Primum Canonem Praeliminarem, § 2, in Sessione XII approbatum;² Canonem Quartum Praeliminarem in eadem sessione approbatum;³ Canonem Quintum in Sessione X approbatum;⁴ Canones Secundum et Quintum Sessionis IX),⁵ statutum adhuc non fuit quid consilia evangelica universaliter importent. Non est certe facile hoc in iure definire et codificatores Codicis vigilis maluerunt hac de re directe non tractare. Tunc tamen magna necessitas non habebatur quia omnia Instituta perfectionis erant religiosa vel ipsis assimilabantur ac propterea maior uniformitas habebatur. Nec legislator demonstrabat magnam animi preoccupacionem nisi pro Institutis religiosis, quae in eorum particulari iure apprime determinabant elementa constitutiva vitae religiosae, tam modo generali quam modo determinato pro quolibet instituto. Haec methodus nunc adhiberi non potest quia quaelibet categoria Institutorum perfectionis suum locum proprium in Ecclesia et in iure communi invenire debet.

Praeterea, nunc Instituta religiosa stricte dicta habent maiorem libertatem determinandi quaenam vincula sodales assumere debent ante cooptationem vel professionem definitivam. Unde, ad vitandam confusionem, necessarium videtur firmiter hic statuere quaenam sint elementa constitutiva vitae religiosae. Non desunt enim qui putant ad statum religiosum stricte sumptum amplius requiri ut consilia evangelica assumpta sint voto publico firmata. Item, non pauca experimenta hodie fiunt quae, saltem apparenter, videntur non concordare cum vita communitaria requisita ad integrationem vitae religiosae.

10. Non defuerunt Rev.mi Consultores e gremio nostri Coetus Studiorum qui huiusmodi lacunam in schemate canonum pro Institutis reli-

¹ Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 323-324.

² Cf. *ibidem*, 173.

³ Cf. *ibidem*, 174.

⁴ Cf. *ibidem*, 51.

⁵ Cf. *Communicationes*, XXVI, 1994, 214-215.

giosis stricte dictis notaverunt et aliis indicaverunt et etiam rationes seu motiva cogentia exposuerunt ut dicta lacuna impleretur. His omnibus motivis motus, decisionem tuli quinque canones circa hanc materiam in praecedenti sessione Consultoribus praesentare, qui in documento «Addenda ad Relationem introductivam decimam secundam» inveniuntur.¹ Ut patet ex notis ibidem positis, omnes illi canones examinati et approbati fuerunt a Consultoribus Parvi Coetus, excepto canone quarto, qui de voto oboe-dientiae agit. Cum tamen quidam Consultores, in suis scriptis animadversionibus Coetui missis, non paucas observationes fecerint circa formulacionem horum canonum, Relator iterum eos submisit examini Consultorum Parvi Coetus qui, attentis illis observationibus, aliquas immutationes introduxerunt et in sequenti formulatione eos Consultoribus Coetus nunc praesentant.

Unus tantum fuit Consultor qui canonibus in hac parte praesentatis alios adiungendos proposuit. Eius tamem propositiones acceptatae non fuerunt a Consultoribus Parvi Coetus, vel quia expediens non fuit aestimatum canones ab eo propositos huic schemati adiungere, vel praesertim quia canones propositi ad materiam aliorum Coetuum Studiorum videntur pertinere. Rev.mus autem Secretarius Commissionis, qui, uti mos est, semper praesidet adunationibus Consultorum Parvi Coetus, certior factus est de hac re et etiam de voto Consultorum ut negotium cum aliis respectivis Coetibus Studiorum tractaretur.

Re quidem vera, sequentibus quinque canonibus modo conciso, sed sufficienti, praedicta lacuna impletur. In primo enim canone statuuntur absque ulla aequivocitate elementa necessaria vitae religiosae quae in quolibet Instituto religioso, cuiuscumque generis sit, inveniri debent et simul clare indicatur testimonium publicum Christo et Ecclesiae reddendum ab huiusmodi Institutis eorumque sodalibus, necnon modus quo hoc testimonium reddi debet. Ut clarum est, etiam in his canonibus applicatur principium a Coetu nostro approbatum: «ius commune sancire debet dumtaxat principia generaliora quae omnibus institutis faciliter applicari possunt quaeque congruam libertatem eis relinquant ut ad finem suum tendere possint» (*Communicationes*, II, 1970, p. 171).

Canones secundus, tertius et quartus, qui post longam discussionem approbati sunt, definiunt quid unumquodque consilium evangelicum, voto firmatum, secumferat pro sodalibus qui in Institutis religiosis vitam suam Deo consecraverunt. Tandem, in quinto canone statuitur principium iuxta quod vita communataria religiosorum in domo, ad normam

¹ Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 323-329.

iuris constituta, peragi debet in qua haberi oportet oratorium vel ecclesia ubi mysterium Eucharisticum celebratur et Sacramentum Eucharistiae asservatur.

11.

CANON PRIMUS

§ 1. In quolibet Instituto religioso tria evangelica consilia in professione saltem definitiva a sodalibus assumi debent, voto publico firmata, et vita fraterna in communi peragenda est ad normam iuris particularis.

§ 2. Testimonium publicum ab his Institutis Christo et Ecclesiae reddendum illam secumfert a mundo separationem indoli et fini cuiusque Instituti propriam necnon habitum aptum a iure particulari praescriptum qua signum consecrationis vitae.

Notae:

a) Post expositiones supra datas (cf. nn. 9-10), non multa remanent explicanda in hoc canone. Tria consilia evangelica non tantum a sodalibus Institutorum religiosorum assumi debent, sed a sodalibus cuiuscumque Instituti perfectionis. Id quod religiosis est proprium et specificum consistit in hoc quod isti assumunt consilia *votis publicis firmata* et quidem religiosis seu ut talibus ab Ecclesia recognita et acceptata. Statuitur autem quod assumptio consiliorum votis publicis firmatorum non est obligatoria ante professionem definitivam,¹ sive haec sit perpetua sive non, quia, ad normam can. 2, § 3 in Sessione IX approbati (cf. etiam Instructionem *Renovationis causam* S. Congr. De Religiosis), « Ius particulare permittere potest ut temporaria cooptatione sodalis, loco votorum... Instituto adstringatur alius generis vinculo, cuius natura et vis ab eodem adamussim definiatur ».

b) Aliud elementum ad statum religiosum requisitum est « vita fraterna in communi peragenda... ad normam iuris particularis ». Maluimus adhibere praedictam phrasem quam expressionem « vita communis » a vigenti Codice adhibitam, quia magis viva appetit et melius significat caritatem fraternalm quae inter sodales eiusdem communitatis regnare deberet. Etiam vita communis aptari debet ad indolem et scopum cuiusque Instituti. Sed hoc evidenter determinari debet a iure particulari cuiusque Instituti.

c) Nullum habetur dubium quin religiosi debeant testimonium publicum per propriam vitam et actionem reddere Christo et Ecclesiae et quidem modo ipsis proprio. Iuxta Patres Concilii Vaticani II, omnes sodales Institutorum perfectionis « Deo summe dilecto totaliter mancipantur » (Const. Dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI,

¹ Cf. *Communicationes*, XXVI, 1994, 214.

n. 44). Sed religiosi, ob vota publica ab ipsis emissa, perfectiorem perficiunt suiipsius consecrationem per quam a mundo seiunguntur et apparent tamquam illud praeclarum signum praeannuntians gloriam Regni coelestis, de quo est sermo in primo canone praeliminari in sessione XII approbato (cf. Relationem conclusivam Sessionis XIII, Adnexus III, can. 1, § 1).¹ Haec autem necessario secumferunt quamdam a mundo separationem, naturae diversorum Institutorum religiosorum accommodatam. «Alia enim est separatio quae convenit sodalibus Institutorum quae integre ad contemplationem ordinantur, alia quae a ceteris monachis adoptari debet et alia quae consentanea est sodalibus Institutorum quae ex propria vocatione operibus apostolatus dedita sunt». (Addenda ad Relationem Introductivam decimam secundam, n. 7, p. 9).²

d) Sicut Consultores videre possunt, ultima phrasis § 2 huius canonis, nempe: «necnon signum consecrationis vitae sodalium» mutata est in sequentem: *necnon appetum habitum a iure particulari qua signum consecrationis vitae*. Plures sunt rationes huius mutationis. Imprimis quidam Consultor notavit, forsitan non immerito, priorem formulationem ansam praebere et effugium constituere pro multis religiosis ad habitum derelinquendum. Deinde verum est Summum Pontificem Paulum VI in Apostolica Exhortatione *Evangelica Testificatio* emphasis fecisse super retentionem habitus religiosorum tamquam «signum consecrationis eorum» qui distinctus esse debet ab habitu saecularium (cf. n. 23; cf. etiam Decr. *Perfectae caritatis*, n. 17). Tandem, certiores facti sumus Coetum Studiorum, qui schema: «De clericorum obligationibus» paravit, clericis saecularibus imposuit ut deferant «habitum ecclesiasticum».

12.

CANON SECUNDUS

Castitatis propter regnum coelorum professio secumfert coelibatus simulac continentiae perfectae observantiam, qua caritas erga Deum et universos homines magis accendatur et manifestetur.

Notae:

a) Canon iste nullam subiit mutationem et identicam exhibet formulationem ac habuit in documento: «Addenda ad Relationem introductivam decimam secundam». Non est igitur cur repeatantur notae ad calcem canonis positae ad quas Rev.mos Consultores remitto (cf. n. 9).

b) In nota c) dubium manifestatum fuit num sit necessarium in hac parte adiungere quosdam saltem ex effectibus de quibus in can. 579 Codicis vigentis. Re attente considerata a Consultoribus Parvi Coetus, expediens non apparuit hic quidquam adiungere eo quod pertineret ad alios Coetus de istis effectibus normas statuere, si causus ferat.

¹ Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 142; 173.

² Cf. *ibidem*, 324.

13.

CANON TERTIUS

§ 1. Paupertatis propter Christi sequelam professio, praeter vitam in labore et omnimoda sobrietate ducendam, secumfert plenam in usu et dispositione bonorum dependentiam necnon cessionem saltem administratio-
nis proprii patrimonii.

§ 2. Nisi, ad normam iuris particularis, fiat renuntiatio bonorum pa-
trimonialium acquisitorum et acquirendorum, sodales tenentur testamen-
tum condere et, intuitu securitae professionis, de usu et usufructu suorum
bonorum libere disponere.

§ 3. Quae vero propria industria, stipendio vel pensione a sodalibus
acquiruntur Instituto cedunt.

Notae:

a) In fine notae a) canonis de consilio paupertatis propositi in documento: «Ad-
denda ad Relationem introductivam decimam secundam», commendatum fuit
Rev.mis Consultoribus nostri Coetus Studiorum «ut diligenter omnes partes canonis
perscrutentur», ad hoc ut nulla relinquatur lacuna in hac materia tam difficile et deli-
cata (cf. n. 10). Non pauci Consultores validam suam cooperationem nobis dederunt
et animadversiones, observationes et suggestiones proposuerunt. Propterea canon no-
vo examini Consultorum Parvi Coetus subiectus fuit ex quo formulatio supra posita
resultavit.

b) Prima innovatio quam novus canon exhibet est divisio in tres distinctas para-
graphos ad varias obligationes e voto paupertatis emanantes aptius distinguendas.
Nam, in § 1 statuitur minimum requisitum in qualibet forma vitae religiosae in mate-
ria voti paupertatis. § 2 considerat duos casus qui haberi possunt, nempe: Instituta in
quibus sodales omnes momento professionis definitivae dominio bonorum, etiam ra-
dicali, renuntiant et Instituta in quibus sodales regulariter dominio radicali bonorum
non renuntiant sed tantum usui et usufructui. Pro unaquaque categoria datur norma
diversa. § 3 considerat acquisitions personales sodalium religiosorum ab ipsis factae
post cooptationem ad Institutum.

c) Additur phrasis in § 1: «praeter vitam in labore et omnimoda sobrietate du-
cendam» ad inculcandum quod paupertas religiosorum non consistit dumtaxat in ces-
sione bonorum vel in dependentia in usu et dispositione, sed etiam — ut dicunt pa-
tres Concilii — in eo quod sodales «re et spiritu sint pauperes» et in eo quod «com-
muni legi laboris se sentiant obnoxio» (Decr. *Perfectae caritatis*, n. 13).

d) Etsi verum sit quod essentia voti paupertatis non consistit in dependentia in
usu et dispositione bonorum, haec tamen dependentia est id quod est universalius in
observantia huius consilii. Et ideo recte, meo humili iudicio, post insertionem de qua

in nota praecedenti, fit mentio de huiusmodi dependentia, sed in eadem linea ponitur etiam cessio administrationis proprii patrimonii, quod est minimum in materia renuntiationis quod haberi potest. Et ideo adiungitur verbum «saltem», quia plures renuntiatio et alia includit.

e) Iuxta decisionem a nostro Coetu latam, in iure recognito non est amplius urgenda distinctio inter professos a votis sollemnibus et illos a votis simplicibus. Quapropter, in § 2 quaestio renuntiationis bonorum temporalium relinquitur decidenda iuri particulari Institutorum religiosorum. Hoc videtur esse hodie magis necessarium quia Patres Concilii libertatem dederunt Institutis religiosis in quibus emittuntur tantum vota simplicia permittendi «ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient» Decr. *Perfectae caritatis*, n. 13).

f) Iuxta § 2, si renuntiatio bonorum patrimonialium non habeatur, sodales non tantum tenentur testamentum condere sed etiam: «intuitu secuturae professionis, de usu et usufructu suorum bonorum libere disponere». In priore canonis formulatione haec norma non apparebat. Videbatur sufficiens statuere «cessionem administrationis et fructuum proprii patrimonii». Sed ut res clarius appareat et nullum habeatur dubium de quo agitur in casu, melius visum est quaestionem de dispositione bonorum eorumque usu et usufructu ante professionem facienda relinquere ad hanc secundam paragraphum. Can. 569 imponit cessionem administrationis bonorum patrimonialium et liberam dispositionem eorum usus et ususfructus *novitio* ante professionem votorum simplicium, sive temporariorum sive perpetuorum. Propter mutationes inductas ab Instructione *Renovationis causam* et in nostro schemate canonum acceptatas, hoc amplius fieri non potest. Propterea vox quae adhibetur est simpliciter «sodales». Haec, ni fallor, includit omnes, magis et amplius quia hodie per eamdem Instructiōnem statutum est vitam religiosam per novitiatum initium habere.

g) Cetera in canone mutata non sunt et ideo valent notae pro praecedenti formulatione propositae (cf. «Addenda ad Relationem introductivam decimam secundam», n. 10).

14.

CANON QUARTUS

Oboedientiae ad exemplum Christi professio plenam voluntatis Deo dedicationem secum fert in submissione moderatoribus, Dei vices gerentibus, praestanda in spiritu fidei et amoris secundum determinationem iuris.

Notae:

a) Quidam Consultores suas observationes miserunt circa duplē formulatiōnē canonis quoad consilium oboedientiae, quae proposita fuit in documento: «Addenda ad Relationem introductivam decimam secundam» (cf. n. 11). Immo, aliqui eorum canonem specificum composuerunt. Attentis iis quae a Consultoribus propo-

nebantur et inspectis duabus formulationibus antea propositis, canon suprapositus confectus est qui ab aliis non differt nisi ratione brevitatis et claritatis, sed nullum elementum novum includit.

b) Votum et consilium obedientiae magis quam vota et consilia castitatis et paupertatis influxum subit indolis, finis et formae regiminis cuiusvis Instituti. Oboedientia enim promittitur moderatoribus « secundum statuta vel constitutiones » Instituti religiosi de quo agitur. Indoles autem, finis et regimen sunt admodum diversa in diuersis Institutis. Quapropter, in definiendis obligationibus quae ex voto oboedientiae promanant, iure communi nonnisi minimum dici potest et debet. Secus praescriptio-nes iuris communis erunt difficulter omnibus Institutis religiosis applicabiles. Et haec est ratio maximae sobrietatis istius canonis.

c) In fine canonis dicitur: « secundum determinationem iuris » et non « iuris particularis » quia in iure communi possunt adesse et de facto adsunt plura praescripta quae religiosos respiciunt et quibus obtemperare debent. Conferantur etiam notae ad calcem canonum de oboedientia positae in supra citato documento: « Addenda ad Relationem introductivam decimam secundam » (n. 11).

15.

CANON QUINTUS

Communitas religiosa habitare debet in domo legitime constituta, quae domus propriam habeat ecclesiam vel oratorium in quibus Eucaristia celebratur et asservatur ut vere sit centrum communitatis.

Notae:

a) Canon iste intendit imprimis in tuto ponere ius, cuilibet communitati religiose proprium, habendi ecclesiam vel oratorium proprium pro servitio ipsius communitatis et etiam pro exercitio operum apostolatus quae sunt Instituto propria. Ad hoc tamen ut habeatur domus religiosa requiritur ut sit legitime constituta, seu ad normam iuris. Prima igitur praescriptio huius canonis intendit etiam praecavere abusus et confusiones quae venire possunt ex quibusdam experimentis in variis regionibus iam ad actum deductis.

b) Canon tamen potissimum inculcare intendit omnibus sodalibus, qui communitatem constituunt, ardentem fraternalm caritatem quam constanter colere debent. Haec caritas fraterna suum vinculum et apicem invenire debet in celebratione sacrificii Eucharistici, praesertim si de communitate clericali et sacerdotali agatur, et in praesentia reali eucharistica Christi inter fratres. Haec vita fraterna in Christo et pro Christo constituere videtur specificum testimonium communitarium religiosorum. Separatio a mundo et aptus habitus, de quibus in can. 1, § 2, constituunt aspectum tantummodo exteriorem huius testimonii, quod intime per vitam fraternalm in Christo constituitur.

IV. DE INSTITUTIS VITAE APOSTOLICAE CONSOCIATAE

16. In prima sectione huius Relationis, quando sermo erat: «De Schemate secundae partis», conatus sum non tantum invenire aptam rubricam pro categoria Institutorum quae in Codice vigenti veniunt sub titulo: «De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis», sed etiam indolem specificam istorum Institutorum individuare et breviter describere. Non est igitur cur in hac parte repetam ea quae iam supra dicta sunt (cf. nn. 4-5). Tantum recolendum est huiusmodi Instituta indolem eminenter apostolicam praeserferre et in eis omnia influxum subire et veluti conditionari huic peculiari indoli. Sive Instituta haec sacerdotalia sint sive laicalia, sive opera apostolatus exerceant exclusive in terris missio-num sive non, semper primas partes tribuunt eorum scopo apostolico. Immo posset forsan dici eorum vocationem nonnisi ex unione vocationum personalium sodalium conflari. Quod opponi videtur ei quod habetur in Institutis religiosis, ubi sodales participant vocationem ipsius Instituti, cui in professione sese tradunt ut disponibiles sint in manibus moderatorum pro bono ipsorum sodalium, Instituti et Ecclesiae ad normam iuris particu-laris et secundum finem specialem cuiusque Instituti. Sodales, e contra, Institutorum vitae apostolicae consociatae simul consociantur ut ex vita, quam in Instituto associatam ducunt, adiutorium habeant et sustententur in sua actione apostolica. Vita igitur fraterna his in Institutis potius consideranda est veluti relativa necessitas pro efficaciore actione apostolica et so-dalium et Instituti. Consilia autem evangelica his in societatibus assumun-tur abs dubio ut perfectio caritatis a sodalibus facilius et securius attingi possit sed etiam quia in his quoque Institutis verum esse debet quod statutum est pro sodalibus Institutorum religiosorum operibus apostolatus de-ditorum: «Actio apostolica ex intima cum Deo unione semper procedat eamdemque confirmet ac foveat» can. 1, § 2, in ultima sessione Coetus approbatus). Immo forsan monitum hoc est magis necessarium sodalibus horum Institutorum vitae apostolicae consociatae, quia pro eis periculum gravius adest exhibendi zelum inopportunum in activitate apostolica cum consequenti ariditate spiritus et inefficacitate apostolatus. Observantia enim consiliorum indoli cuiusque Instituti accommodata et vita fraterna communitaria optimum praesidium et fulcimentum constituunt pro acti-vitate apostolica operarii evangelici.

17. Canones igitur, qui pro hac categoria Institutorum perfectionis sta-tuendi sunt, indolem illis propriam manifestare debent, scilicet eminenter

apostolicam, et simul clare et firmiter determinare duo elementa quae haec Instituta introducunt in magnum agmen Institutorum perfectionis, nempe observatio trium consiliorum evangelicorum iuxta determinationem iuris particularis et quaedam forma vitae fraternae a iure particulari praescripta, attentis indole et fine Instituti. Cum autem his in Institutis non habeantur regulariter illae rigidae restrictiones pro religiosis statutae in materia paupertatis, ius particolare cuiuslibet Instituti debet adamussim determinare quaestiones attinentes ad usum et administrationem bonorum temporalium tam individuorum quam communium. Secus observatio consilii paupertatis posset reduci ad flatum vocis. Propter finem apostolicum et positionem quam haec Instituta et eorum sodales habent non solum in Ecclesia universalis sed etiam in ecclesiis particularibus, necessarium videtur ponere in lucem quosdam aspectus eorum apostolatus in relatione ad Ordinarios loci, quamvis hodie differentiae in hac re inter sodales horum Institutorum et religiosos operibus apostolatus deditos sat reductae appareant.

Attento quod etiam pro his Institutis et eorum sodalibus valent omnia praescripta canonum quae in parte prima seu generali posita sunt, infrascrip-
to Relatori et Consultoribus Parvi Coetus visum est inopportunum canones in hoc titulo ponendos multiplicare. Ceterum, multiplicatio canonum in hac parte non est facilis, tam propter principia directiva laborum a Coetu nostro Studiorum approbata et constanter applicata, quam propter magnam varietatem Institutorum quae in hac categoria inveniuntur. Nisi igitur praescripta hic ponenda sint valde generalia et minimum imponant, magna cum probabilitate erunt inapplicabilia vel indebitas restrictiones importabunt.

Canones igitur qui proponuntur examini Rev.morum Consultorum Coetus sunt tantum quatuor. His praescriptis — ut putamus — ea concise, sed sufficienti cum claritate, statuta sunt quae supra exposui circa indolem propriam et peculiares necessitates horum Institutorum. En igitur canones qui proponuntur.

Tit. II: « DE INSTITUTIS VITAE APOSTOLICAE CONSOCIATAE »

18.

CANON PRIMUS

Instituta vitae apostolicae consociatae, sive sacerdotalia sive laicalia, quae religiosa non sunt, suum finem apostolicum per vinculum fraternitatis sustinent atque secundum propriam rationem consilia evangelica aliquo sacro ligamine firmata assumunt.

Notae:

a) Post iam dicta supra pauca remanent exponenda ex verbis istius canonis. Omnia elementa requisita pro constitutione essentiali Institutorum huius categoriae videntur inclusa.

b) Fit specificatio per expressionem: «sive sacerdotalia sive laicalia» ad hoc ut nullum habeatur dubium circa inclusionem in hac categoria illorum Institutorum quorum sodales non sunt clerici sed laici, sive viri sive mulieres. Praefertur verbum «sacerdotalia» potius quam «clericalia», quia haec instituta ordinarie vocantur «Instituta vel Associationes sacerdotales vel sacerdotum».

c) «quae religiosa non sunt». Haec declaratio est opportuna tam ad apprime distinguenda haec Instituta ab Institutis religiosis, de quibus actum est in Titulo I, quam ad satisfaciendum desiderio moderatorum et sodalium horum Institutorum qui assimilationem cum religiosis mordicus reiiciunt.

d) «suum finem apostolicum per vinculum fraternitatis sustinent». Haec propositione plura statuit. Imprimis, affirmat omnia huiusmodi Instituta finem apostolicum habere; deinde dicit vitam associatam in his communitatibus ducendam cum vita communi religiosorum confundendam non esse cum existat potissimum ad finem apostolicum sustinendum et ad efficaciem reddendam actionem apostolicam sodalium. Tandem, per hoc etiam innuitur vitam fraternalm in his institutis non habere momentum quod acquirit vita communis in religionibus.

e) Statuitur denique quod omnia Instituta huius categoriae consilia evangelica consueta, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae assumere debent, secus inter Instituta perfectionis adnumerari non possunt. Clarum etiam est quod sodales in propria cooptatione ad Institutum debent assumptionem consiliorum firmare, quodam sacro ligamine, ut aperte dicitur in Const. Dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI, n. 44. Natura tamen huius ligaminis et modus illud assumendi definiri debet in iure particulare cuiusque Instituti. Similiter observatio consiliorum determinanda est iuxta propriam rationem, seu secundum indolem, finem et necessitates Institutorum.

Dum igitur elementa essentialia in quolibet Instituto huius generis clare determinantur et statuuntur in hoc canone, congrua ampla libertas relinquitur singulis Institutis ut haec elementa accomoden et adaptent sicut exigitur ab eorum indole et etiam a circumstantiis exurgentibus.

19.

CANON SECUNDUS

Vita fraterna ita ordinata sit ut activitatem apostolicam praeparet et constanter foveat atque adiuvet.

Notae:

Canon iste confirmat, ex una parte, vocationem eminenter apostolicam horum Institutorum et ex alia, manifestat functionem quam vita communitalia induit in or-

ganizatione structurali eorumdem Institutorum. Nemo certe negabit vitam communiam inservire debere ad praeparationem sodalium perdurante eorum institutione intellectuali et spirituali pro futura activitate apostolica. Se haec potest vocari «praeparatio remota», dum vita communitaria debet sodales praeparare ad opera apostolatus exercenda etiam proxime. Et haec est ratio quare ordinatio vitae communitariae debet sapienter fieri ut sit fons unde actio apostolica sodalium non tantum proximam praeparationem eruere potest sed etiam fulcimentum et validum adiutorium.

20.

CANON TERTIUS

Statuta personalem conditionem sodalium circa bona temporalia definiant et accommodatas normas statuant quae eorum usum moderentur, attenta in fraternitate aequalitate sodalium.

Notae:

a) Sicut videri potest ex iis quae dicta sunt supra in canone introductivo Tituli I: «De Institutis Religiosis» circa votum paupertatis, conditio personalis sodalium religiosorum circa bona temporalia appareat sufficienter definita. Quaedam puncta fundamentalia communia sunt bene definita a iure communi et alia relinquentur definienda a iure particulari cuiusque Instituti religiosi. Positio tamen est sat diversa in Institutis vitae apostolicae consociatae. In Codice Iuris Canonici, ubi, ut iam plures dictum est, haec Instituta in multis assimilata sunt religionibus, sicut testantur praescripta canonum Tituli XVII, Libri II, quoad conditionem sodalium circa bona temporalia sequentia modo omnino generali statuuntur: Can. 676, § 3: «Quidquid sodalibus obvenit intuitu societatis, eidem acquiritur; cetera bona sodales secundum constitutiones retinent, acquirunt et administrant». Praescriptum est ex proposito indeterminatum et determinationem completam postulat a iure particulari duplex ob motivum. Imprimis, istis Institutis eorumque sodalibus evidenter non possunt imponi obligationes in hac materia quae Institutis religiosis et eorum sodalibus imponuntur. Sunt enim Instituta admodum diversa et quod valet pro una categoria non valet pro alia. Secundum motivum consistit in hoc quod inter varia Instituta quae coadunantur sub categoria Institutorum vitae apostolicae consociatae percipi possunt diversitates sat profundae quae proveniunt ex diversa origine, diverso gradu vitae communitariae, diversis operibus a quolibet Instituto selectis, diversis regionibus in quibus apostolatus exercetur, diverso tempore in quo Instituta orta sunt, etc.

b) Quapropter, non videtur possibile in canone circa consilium paupertatis pro his Institutis aliud statuere quam quod dictum est in prima parte canonis: «Statuta personalem conditionem sodalium circa bona temporalia definiant et accommodatas normas statuant quae eorum usum moderentur». Maiores specificationes vel determinationes certe hic ponni non possunt neque debent, quia omnibus Institutis eorumque sodalibus applicabiles non essent. Determinationes huiusmodi debent relinquiri iuri

particulari. Ex alia tamen parte, hoc praescriptum appareat necessarium tam quia canon statutus pro religiosis hic non est applicabilis, quam quia secus Statuta particularia Institutorum possent necessariam ordinationem materiae tam delicatae totaliter omittere et ita ad nihilum reducere observantiam consilii paupertatis. Quod admitti certe non potest.

c) Cum his in Institutis, sodales non tantum retinent ius acquirendi bona post cooptationem in Institutum, sed etiam bonorum proprietariorum administrationem et quodammodo eorum usumfructum, planum est conditionem oeconomica sodalium in uno eodemque Instituto non parum diversificari posse.

Haec autem diversitas posset esse fons admirationis et forsitan scandali et dissensionis inter fratres, si in usu bonorum proprietariorum non habeatur dependentia a legitimis moderatoribus vel nimia inaequalitas percipi possit. Et haec est ratio adiungendi praescripto statuendi normas accommodatas quoad usum bonorum, ultimam phrasem canonis: «attenta in fraternitate aequalitate sodalium». In Instituto namque sodales omnes sunt fratres et aequales, independenter ab eorum conditione oeconomica. Consequenter, in quantum erit possibile, aequaliter tractari debent.

21.

CANON QUARTUS

§ 1. Ordinariis locorum sodales reverentiam et oboedientiam prae-
sent in his quae activitatem apostolicam spectant, salvis semper indole In-
stituti et subiectione erga proprios moderatores.

§ 2. Sodales, etsi ad normam iuris particularis incardinationem in ali-
qua dioecesi habere possint, moderatoribus Instituti submissi manent at-
que munera in Instituto commissa assumere tenentur.

Notae:

a) Ut iam supra dictum est (cf. n. 17), iste canon hic necessarius videtur propter peculiarem finem apostolicum horum Institutorum et propter specialem conditionem in qua sodales inveniuntur in relatione ad ecclesias particulares. Etenim, cum sodales horum Institutorum, praesertim sacerdotes, propinquiores sint clero dioecesano et sa-
cerdotibus dioecesanis, relationes cum ecclesia locali et cum Ordinario loci frequen-
tiores et magis implicatae esse possunt quam illae religiosorum, etsi pertineant ad In-
stituta operibus apostolatus dedita. Inde sequitur necessitas tradendi saltem quasdam
normas directivas, a iure particulari magis determinandas, ad hoc ut harmonia inter
utramque partem servetur, bono animarum apte prospiciatur et simul Instituta et eo-
rum sodales modo idoneo suam vocationem adimpleant secundum charisma divinitus
acceptum et nullum patientur detrimentum sed continuos progressus faciant.

b) Quamvis igitur § 1 huius canonis applicari possit etiam sodalibus Institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum (cf. Decr. *Christus Dominus*,

nn. 33, 35), Consultores tamen Parvi Coetus statuerunt praescriptum quoad sodales horum Institutorum hic ponere. Clarum est sodales huiusmodi oboedientiam Ordinariis locorum praestare debere quando activitas apostolica exercetur erga personas extra-neas fraternitati. Requiritur etiam ut Ordinarius loci legitime vocet sodales vel normas legitimas statuat. Non est rarum quod Episcopus vocat sodalem horum Institutorum ad quaedam opera dioecesana dirigenda, uti v. gr. seminarium vel scholam. In acceptandis huiusmodi operibus, sicut et in tota activitate apostolica exercenda, attentio non parva fieri debet ad indolem et finem Instituti ad quod sodales pertinent. Responsabilitas hic gravat non solum super ipsos sodales sed et super moderatores et etiam super Episcopum. Hoc quammaxime dicitur de officiis et muneribus quae de se ad indefinitum tempus perdurant vel ad tempus protractum. Et est motivum praecipuum quare sodalis numquam haec officia vel munera acceptare debet absque licentia sui legitimi moderatoris. Immo norma deberet esse pro Ordinario loci ut numquam directe recurrat ad sodalem cui concredere vellet aliquod officium vel munus sed directe ad moderatorem competentem.

c) In quibusdam Institutis huius categoriae admittitur vel etiam commendatur ut sodales vel habeant vel retineant incardinationem in aliqua dioecesi. Cum autem incardinatio constitutat titulum subiectionis erga Ordinarium loci in cuius dioecesi clericus incardinatur, conditio sodalium Institutorum quae incardinationem admittunt potest esse sat diversa ab illa sodalium aliorum Institutorum. Hoc tamen non obstante, permitti non potest quod Institutum grave damnum patiatur ex hoc facto. Qua de causa in § 2 huius canonis relinquitur imprimis libertati ipsorum Institutorum utrum debeatadmittere vel introducere in proprio iure particulari possibilitatem incardinationis pro suis sodalibus. Deinde statuitur quod factum incardinationis non tollit submissionem sodalium erga proprios moderatores internos. Hoc requiritur ex cooptatione sodalium in Institutum, quae per incardinationem certe non tollitur. Tandem praescribitur quod tales sodales incardinati in dioecesi non eximuntur ab obligationibus quas habent erga Institutum et praeferunt ab obligatione acceptandi et assumendi officia et munera ipsius Instituti, sive sint regiminis sive alterius generis. Incardinatio nempe non debet constituere effugium ut officia Instituti declinentur quia alia, ab Episcopo forsan concredata, magis placent, una vel alia ratione.

Romae, 5 aprilis 1973.

P. MARCUS SAID, O.P.

Relator

Adnexum II**CANONES IN XV^a SESSIONE APPROBATI****DE VITA EREMITICA**

§ 1. Praeter haec perfectionis Instituta, Ecclesia agnoscit vitam eremiticam seu anachoreticam, qua christifideles arctiore a mundo secessu, solitudinis silentio, assidua prece et poenitentia in Dei laudem et mundi salutem suam vitam consecrant.

§ 2. Eremita uti religiosus iure recognoscitur qui tria evangelica consilia, voto firmata, profitetur et propriam vitae rationem sub ductu Ordinarii loci aut competentis moderatoris religiosi habet et servare tenetur.

CANONES INTRODUCTIVI TITULI I*Can. primus*

§ 1. In quolibet Instituto religioso tria consilia evangelica voto publico firmata in professione saltem definitiva a sodalibus assumi debent et vita fraterna in communione peragenda est ad normam iuris particularis.

§ 2. Testimonium publicum ab his Institutis Christo et Ecclesiae redendum illam secundum separationem indoli et fini cuiusque Instituti propriam necnon usum habitus apti a iure particulari praescriptum qua signum consecrationis vitae.

Can. secundus

Castitatis propter regnum coelorum professio secundum coelibatus simulac continentiae perfectae observantiam, qua caritas erga Deum et universos homines magis accenditur et manifestatur.

Can. tertius

§ 1. Paupertatis propter Christi sequelam professio, praeter vitam in labore et sobrietate ducendam, secundum plenam in usu et dispositione

bonorum dependentiam necnon cessionem saltem administrationis proprii patrimonii.

§ 2. Nisi, ad normam iuris particularis, fiat renuntiatio bonorum patrimonialium acquisitorum et acquirendorum, sodales tenentur testamentum condere et, intuitu securitae professionis, de usu et usufructu suorum bonorum libere disponere.

§ 3. Quae vero propria industria, stipendio vel pensione a sodalibus acquiruntur Instituto cedunt.

Can. quartus

Oboedientiae ad exemplum Christi professio plenam voluntatis Deo dedicationem secumfert in submissione moderatoribus, tanquam Dei vices gerentibus, in spiritu fidei et amoris praestanda secundum determinacionem iuris.

Can. quintus

Communitas religiosa habitare debet in domo legitime constituta, quae domus propriam habeat ecclesiam vel oratorium in quibus Eucharistia celebratur et asservatur ut vere sit centrum totius vitae communis.

DE INSTITUTIS VITAE APOSTOLICAE CONSOCIATAE*Can. primus*

Instituta vitae apostolicae consociatae, sive clericalia sive laicalia, quae religiosa non sunt, suum finem apostolicum per vinculum fraternitatis sustinent atque secundum propriam rationem consilia evangelica quodam sacro ligamine firmata assumunt.

Can. secundus

Vita fraterna ita ordinata sit ut activitatem apostolicam praeparet et constanter foveat atque adiuvet.

Can. tertius

Statuta personalem conditionem sodalium circa bona temporalia definiunt et accommodatas normas determininent quae secundum paupertatem eorum usum moderentur, attenta, in fraternitate, aequalitate sodalium.

Can. quartus

Ordinariis locorum sodales reverentiam et oboedientiam praestent in his quae activitatem apostolicam spectant, salvis semper indole Instituti et subiectione erga proprios moderatores.